



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt XXXII. a Idem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

dabat inter ipsos super decimis; sed privilegium impetratum lite pendente, ejusque non facta mentione, nullum est, *cap. final. ut lit. pendente. cap. causam, quæ de restibus. Cenedus ad Decret. collect. 53.* Ergo ex hoc etiam capite privilegium in præfenti à monialibus impetratum nullum erat.

4. Nec obstabit si dicas privilegium exemptionis à solutione decimarum, extendi etiam ad prædia, in quibus alii percipiebant decimas tempore concessi privilegii, etsi ulla mentio non fiat talis possessionis; quia decimæ semper possidentur ab aliquo, saltem ab Ecclesia parochiali, cui de jure communi debentur, *cap. questi, cap. statuimus, cap. in sacris 16. quest. 1. cap. ab Apostolica, cap. cum contingat, cap. cum in tua, cap. quoniam, de decimis, ubi probavi, cap. final. de Parochiis, cap. penult. de restit. spol. lib. 6.* Et cum Pontifex concedit talem exemptionem, nullam facit mentionem possessionis parochialis; immò & tale privilegium extenditur ad prædia postea exculta, *cap. ex parte, el. 1. cap. ad audientiam, de decimis, de quibus Pon-*

tifex non cogitavit; ergo quia privilegium extenditur cum tertii præjudicio. Nam respondendum est, in præfenti textu agi de privilegio exemptionis à decimis novalium, quod non extenditur ad decimas jam possessas, quia non censetur novales ex quo prædia redacta fuerunt ad culturam; licet prædia ipsa semper novalia dicantur, *cap. consultationi 32. hoc tit.* At verò cum privilegium generaliter concedatur non solvendi decimas ex agris jam cultis, creditur Pontifici satis notam fuisse possessionem, quam parochi jure communi habent; & sic per consequens Pontificem illi velle derogare: quare si jus exigendi similes decimas, non ordinarium, sed extraordinarium virtute privilegii, consuetudinis, aut præscriptionis alicui competat, non censetur derogatum, quia non præsumitur in dubio Pontificem revocare jus, quod ignorat, *cap. super eo, de offic. deleg. docet Covar. lib. 1. var. cap. 17. n. 14.* annectenda sunt huic commentario omnia, quæ adduxi in *cap. final. ut lit. pendente.*

C A P V T XXXII.

^a Idem

Quidam (sicut asseris) in privilegiatorum fraternitate recepti, nolunt tibi de jure Episcopalis respondere. Verum quamdiu hujusmodi fratres moram in domibus suis fecerint, eos compellere poteris ad dicta jura tibi integrè persolvenda.

N O T Æ.

^a Idem.) Gregorius IX. videlicet, cujus epistolis cum careamus, cognoscere non pos-

sumus, cui Prælati in præfenti referbat; quod verò in præfenti docet, exposui in *cap. 3. §. de confratribus, hoc tit.*

C A P V T XXIII.

Idem ^a *Arelaten. Capitulo.*

Consultationi vestræ breviter respondemus, quod terra, de qua non extat memoria, quod aliquando culta fuisset, redacta per religiosos viros noviter ad culturam, perpetuò debet, quoad immunitatem de non solvendis decimis, novalium jure censeretur. Cum alias nonnunquam contingeret indulgentiam de novalibus plus eis dispendii, quam utilitatis adferre.

N O T Æ.

r. ^a *Arelaten. si.*) De Arelateni diocesi egi in *cap. 16. de offic. deleg. & quid novale dicatur, exposui supra proximo commentario. In præfenti tantum docet Gregorius, prædium novale semper novale manere, id est, quod si alicui concedatur exemptio à solutione decimarum de prædiis novalibus, & ipse prædia noviter propriis manibus excolat, nunquam de tali prædio decimas solvere teneatur; nam privilegium à Principe*

concessum decet esse mansurum, *cap. privilegia 25. quest. 2. regulà Decret. de regul. jur. lib. 6.* aliàs si primo anno tantum prædium novale diceretur, novale privilegium potius damnium, quam commodum asferret; nam qui prædium novale magnis sumptibus ad culturam redegit, sequentibus annis teneretur ex eo decimas persolvere; unde ut privilegium juxta naturam suam commodum asferat, rectè docet Gregorius in præfenti, prædium novale semper novale manere.